Cas.

LEGES ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM.

§. 1.

Gloria DEI, Medicæq; artis illustratio, et proximi exinde resultans commodum, Academiæ Naturæ-Curiosorum scopus esto, et Cynosura unica.

§. 2.

Præsidium Academiæ Providentia Divina, Patrocinium ejus in Rebus publicis bene constitutis maximus, quem si non singuli, plures tamen et cordatiores venabunt; incolumitatis propriæ tutela, omnibus gazis anteponenda.

§. 3.

Præses Academiæ unicus esto, cujus munus, unicuiq; Academicorum Naturæ Curiosorum (: in quorum numerum admittendi tantum Doctores, Licentiati, aut iis eruditione proximi, omnes tamen Medici :) ex Regno vel minerali, vel vegetabili, vel animali materiam tradere elaborandam talem præsertim, quæ cuiq; arridet, nisi illa ab alio collega antea sufficienter sit elaborata.

§. 4.

Materiam istam elaborabit Academicus curiose et quâ fieri potest diligentia, inquirendo in rei tractandæ nomina, Synonyma, modum generationis, locos natales, differentias, species, delectum, vires tam totius quam partium, medicamenta tam vulgaria quam Chymica, tam simplicia, quam composita eo ~~fere~~ modo, quo conscripsit Rhodologiam Rosenbergius; Mastichologiam Strobelbergerus. Corallologiam Gansius; Cervum excoriatum Agricola, Lapidem bezoar Bauhing. et Sambucum Blochwitzius.

§. 5.

Qua in re in subsidium adhibebit Autores Authenticos, observationes proprias, fide dignas aliorum relationes, et animad-

versiones, non tamen reticendo horum omnium nomina, sed honestam etiam eorum, qui aliquid contulerint, mentionem faciendo, quo illis studia nostra juvandi stimulus addat. Benignum est, inquit Plinius, et ingenui pudoris plenum fateri, per quos profeceris.

6.

Elaboratam materiam quamprimum Præsidi tradendam curabit ut cum cæteris reponat in Archivo; Interim autem, et si forte quidem elaboratio diutius extrahat; literatis sese literis ad Dominum Præsidem cum decenti excusatione commendabit.

7.

Tempus exhibendæ elaboratæ et accipiendæ alterius noviter elaborandæ materiæ, sit 1. Januarij; et 1. Julij. ab hoc tamen termino quemque eximet et excusabit materiæ gravitas, laborum multitudo, et loci distantia; Sat citò, si sat bene.

8.

Materiam quam elaboravit, in Natura, (si possibile) vel in pictura, si ea depingi potest, vel in utroque videndam exhibebit, ita tamen, ut materia ad vivum per picturam expressa in Archivo, una cum scripto reservetur, res verò ipsa, prout in Natura est, possessori, si velit, iterum cedat; Ideò autem exhibenda, ut sit spurio et adulterino, legitimo et vero dignoscendi quasi regula.

9.

Si non singulis Academicis, saltem aliquibus ante exhibitionem ad revidendum et describendum tradet, quibus licitum sit, cum bona tamen Authoris venia, et absque ullius offensa, materiæ perfectius elaborandæ gratia monere, corrigere, addere, immutare: Mantissam quoque vel Corollarium pro libitu adjicere, cuilibet liberum esto.

10.

Omnia tamen hic fiant amicè, candidè, et fraternè quasi, citra aliorum contemptum, contumeliam, invidiam, arrogantiam: Non est Medici rationalis, alterum invidiose calumniari;

11.

Quilibet Academico liceat sit, cum præscitu tamen Præsidis, ea quæ elaboravit, typis excudenda tradere, ut et hoc modo alij incitentur ad nobile hoc, jucundum et utile negotium veresque regium exercitium suscipiendum, seseque nobis adjungendum: Mortuo vero eo, qui elaboravit, idem de ejus dictum, Præsidi sub nomine Authoris, concessum esto.

12.

Quilibet etiam Academicus, alios etiam Medicos in societatem pertrahere conabitur: Quibus pariter cunctibus fiducia major est:

13.

Quilibet Academicus Naturæ curiosus semper gestet Symbolum Academiæ, annulum nimirum aureum, in quo loco gemmæ sit liber apertus, in cujus una facie oculus, radijs è nube illustratus, in altera plantula depicta vel insculpta sit; Librum ab utraque parte, duo Serpentes corpore et cauda circa annuli circulum circumvoluti ore teneant, non tam ut ornamentum Ordinis, quam incitamentum ad officium, serio et fideliter exequendum.

14.

Nomina Academicorum singulorum peculiari inscribantur libro, vel propria Præsidis vel Academici manu, addita Patriâ, die Natalitio, loco habitationis, functionis præteritæ, præsentisque mentione: Quibus Præses suo tempore adscribat diem obitus. et hic liber sedulo custodiendus à Præside.

15.

Præsidi duo adjungendi, Adjuncti ideò vocandi, quorum munus esto, Medicos alios literis invitare, et materies ab Academicis tractatas in peculiari Catalogo consignare, ac petentibus ad describendum, si velint, transmittere, eosque dignis semper laudibus ac agnomine honorifico mactare, tardantes vero et morosos interdum placide admonere.

16.

Dabit etiam sedulam quilibet operam, ut si quæ functio honorifica alicubi vacaverit, ea statim ad Præsidem deferatur,

quam non nisi Academico ille primum offerat, cumque literis commendatitiis, si videbitur, digne prosequetur; Deficientibus autem Academicis ad alios quoque transitus fieri potest. Nihil ingenuo Ingenio dignius, quam de omnibus bene mereri velle.

17.

Mortuo Præside, ab Academicis alius ex Adjunctorum uno per vota absque simultate eligendus, quod idem etiam de Adjunctis (quorum unus semper Præsidi propior sit) intelligendum: Noviter electo Præsidi Archivum postea tradendum.

18.

Salvâ tamen et reservatâ licentiâ leges hasce pro re nata corrigendi, iisdem addendi, easdem minuendi.

Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg
Frankfurt am Main